



VENUS ET MARS  
ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA.

42m

Litt.

Bibliothèque Maison de l'Orient



171955

VENUS ET MARS  
ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA





# VENUS ET MARS

CARMEN PRAEMIO AUREO ORNATUM

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVI

VENUS ET MARS

# VENUS ET MARS

C A R M E N

HERMANNI WELLER

ELLWANGENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

PRAEMIO AUREO ORNATUM

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVI

## VENUS ET MARS.

---

Cypria sublimi tristis recubabat in arce  
    Non leve magnanimo pectore vulnus alens.  
Nec pepulit divae curas alata caterva,  
    Lusibus et lepidis usque parata iocis.  
Idaliae frustra tentant praebere sorores  
    Lenimen dominae blandaque verba suae.  
Utque dies purus foedatur nubibus atris  
    Umbraque per campos et nemus omne ruit,  
Sic locus inficitur totus maerore Diones,  
    Et Paphus insuetis adgemit alta malis.  
Omnia luctus habet, nymphae satyrique silentes  
    Diffugiunt, silvis incubat alta quies.

## VENUS ET MARS.

Ipse pharetratus sua negligit arma Cupido  
Nec curat solitum desidiosus opus.  
Innumeros sic diva dies noctesque iacebat  
Perpetuo gemitu fata sinistra querens.  
Saepe suos vernum tempus renovarat odores,  
Saepe novum dederat bruma nivosa gelu,  
Ex quo terribilis Mavors fera moverat arma  
Et tulerat cunctis acria bella plagis.  
Ver aderat quintum. Medium superaverat axem  
Phoebus, erat multa luce serena dies:  
Aurea, reiectis divina fronte capillis,  
Desiluit picto iam Cytherea toro.  
Nec speciem divae longus violaverat angor,  
Oraque divini plena nitoris erant.  
Lumina, iucundo semper mellita decore,  
Ignibus ardebant fervidiora novis.  
Et dea, longinquo finem positura dolori,  
Incipit immiti talia voce loqui:  
„Siccine me ficto sociavit foedere Mavors?  
Iurane sunt nostri sic labefacta tori?  
Sumque adeo vilis? Sic nostra potentia torpet,  
Armiger ut toto regnet in orbe deus?

Quid iuvat optata populos vinxisse catena  
Et pia subiecto iura dedisse gregi?  
Quid languet — prius omnipotens — sine numine cestus?  
Quid retinet vires myrtus odora suas?  
An tua nunc hebetata iacent robigine tela  
Squalescitque malo nate sagitta situ?  
At iam non mortale genus tua vulnera quaerit,  
Pectora non iam sunt ictibus apta tuis,  
Pectora, quae torpent violenti frigore leti  
Aut nimio luctu tristitiaque gravi.  
Iure negas fractam telis violare senectam,  
Nec volitans ictûs sentiet umbra tuos.  
Tot iuvenes caesi, tot saucia corda sororum,  
Ut nihil invenias, quod tua tela petant.  
Di quoque nunc adeo mortalia iurgia curant,  
Ignibus ut nostris cedere vile putent:  
Scilicet ut diris totum cremet ignibus orbem  
Ensifer, expulsa pace fideque, deus.  
Terra gemit, cadit alma seges, sunt pascua vasta,  
Moenia cum templis praecipitata ruunt.  
Phoebus uterque videt ferro splendentia rura,  
Flumina purpureo sanguine mixta rubent.

## VENUS ET MARS.

Alpibus in celsis perque ardua saxa Niphatae,  
     Per tractus Pharios classica rauca sonant.  
 Navita rostratis Mavortius aequoris undas  
     Classibus Eoas Hesperiasque premit.  
 Quo tandem Gradive ruis? Qui terminus irae?  
     An crescit nimio dira cruore sitis?  
 Sideribusne cupis sanctis quoque ferre catenas?  
     Nil erit in mundo, quod Cytherea regat?  
 Di quibus imperium est pelagi terraeque potestas,  
     Qui colitis puri regna superna poli:  
 Si quo iure vocor consors ego numen Olympi  
     Et sumus in vestro pars quotacunque choro,  
 Vos precor o lapsis tandem succurrite rebus,  
     Ne mea perpetuo regna furore labent.”  
 Sic dea fata suos ornatûs poscit. Alacres  
     Perficiunt Charites, quae Venus alma iubet.  
 Aglaïe flavos deducit pectine crines,  
     Laeta Thalia comas nectaris imbre rigat.  
 Attulit Euphrosyne ceston peplumque decorum,  
     Callida iucundos composuitque sinus.  
 Floribus inde Venus tenerâ redimitaque myrto,  
     Iudicium speculi comprobât ipsa sui.

Tale videbatur dignum decus alta Tonantis  
Limina visurae. Protinus ire placet.  
„Experiar, dixit, numen si flectere possim  
Regis, ut imperio nunc regat ipse suo.  
In Martem fortasse novos immittet Olympi  
Rector Aloidas, qui fera membra doment,  
Ut post tot curas paulum requiescere Terrae  
Detur et Idaliae restituantur opes.”  
Dixit, et ire parat. Iamiam properabat Amorum  
Turba Dionaeas iungere mollis aves,  
Cum patefacta sonat versato cardine porta,  
Et Mars in medio limine fortis adest.  
Obstupefacta refert primos Amathusia gressus:  
Ira simul dubium pectus amorque petunt.  
Irruit in collum Paphies Gradivus amatum,  
Et dedit ambrosiis oscula mille genis.  
Illa fuit non dura viro nec restitit igni:  
Id suadebat amor calliditasque simul.  
Et rata sic hostem devinci posse superbum,  
Ad mollem lectum duxit amica deum,  
Apposuitque dapes. Fulgebant munera Bacchi,  
Quae dabat Euphrosynes officiosa manus.

Cena placet Marti: clipeum deponit et hastam,  
Et capiti dempta casside demit onus,  
Membraque fessa levat: multas deiecerat arces,  
Saevieratque fera caecus ubique manu.  
Iam fugit asperitas animo, curaque recedunt,  
Haurit odorati pocula blanda meri,  
Alloquio Veneris iam delectatus amico  
Iam Charitum cantu laetificisque choris.  
Interea monitu furtivo Cypris Amorem  
Miserat in Somni regna sopora Dei.  
Annuit is puero promissaque praemia laudat;  
Iam super Idalias advolat altus aquas.  
Nox cursus medios confecerat, astra cadebant,  
Et mare devexis Luna subibat equis,  
Cum resonat patulam melos alitis ante fenestram,  
Flebilibusque omnes obstipuere sonis:  
Cecropiae simulatus avi consederat orno  
Somnus, et haec dulci carmina voce canit:  
„Bellice paciferam cape Mars post arma quietem,  
Et caput in molli nunc age conde toro.  
Iucundo requiesce diu languore solutus;  
Grata soporato somnia multa feram.

VENUS ET MARS.

11

Hic Gradive cubes longos sopitus in annos;  
 Hoc bibe Lethaeas fonte quietis aquas.  
 Hic placide dormi, donec pia mater Amoris  
 Te Venus e somno suscitet ipsa tuo.”  
 Finierat voces. Dederat iam victa sopori  
 Lumina Mars, languens incubitque toro.  
 Sopitique comas Erycina papavere cinxit,  
 Et fronti nitidae myrtea sarta dedit.  
 Membra rosis Charites vinxerunt fortia nexis,  
 Addidit innocuos laeta caterva iocos.  
 Iamque refulgebant Aurorae lumine montes,  
 Et rubor aequoreas inficiebat aquas:  
 Discessit Venus alma domo visura patentem  
 Tellurem paci numinibusque piis.  
 Vix dea prodierat, solito cum dulcius aether  
 Lucet et ambrosio spirat odore locus.  
 Et, modo punicei guttis maculata cruoris,  
 Progenuit rutilas florida terra rosas.  
 Luxuriant silvae, tendit sua brachia cornus  
 Molliter ad cornum: quaelibet arbor amat.  
 Oscula mansuetae iungunt lasciva columbae,  
 Et resonat liquidis vocibus omne nemus.

## VENUS ET MARS.

Asperitas violenta feris decessit, et ira  
Mollior ipsius facta leonis erat.  
Humanumque genus blandos concepit amores  
Et dedit imperio pectora victa novo.  
Cedite Romanae, Pellaeae cedite palmae:  
Nullus adhuc victor tanta tropaea tulit.  
Ipsa Venus lauro ducebat vincta triumphos  
Aurea, cum nitida matre sedebat Amor.  
Proque catenatis ducibus Parthoque ligato  
Ibat Acidalio vulnere laesa cohors.  
Cum diva rediit frugum quoque mater amica,  
Flava Ceres spicis tempora cincta novis.  
De gladiis rastros faciebat rustica pubes,  
Sarcula de telis cuspidibusque feris.  
Ungula frugiferas non iam calcabat aristas:  
Namque erat edomiti mitior usus equi.  
Fudit opes Pomona suas et candida Chloris:  
Martia iam tellus hortus odoratus erat.  
Tutus erat pontus: tutas mercator honestus  
Sospitibus remis sollicitabat aquas.  
Pierides Musae non iam sine laude iacebant,  
Artibus et cunctis campus apertus erat.

Nec gladio terras iam debellasse iuvabat:  
Quaerebant oculi splendida regna poli.  
Abdita naturae certabant noscere docti  
Semina; nox cessit luce fugata novâ.  
Gradivus nitido radiantem flore iuventam  
Miserat ad Stygias caede cruentus aquas:  
Iam medicina seni reddebat docta vigorem,  
Tartarus insolitis obstipuitque moris.  
Depositis populi tandem letalibus armis  
Iungebant socio foedere rite manus.  
Concilians animos concordia fausta vigebat,  
Firmaque sacratae vincula legis erant.  
Candida pax homines mulcebat lumine miti,  
Sicut odorifero vere serena dies.

Illis temporibus Phoebi praesaga sacerdos  
Edidit hos tremula Pythia voce sonos:  
„Indomiti Martis video devincta sopore  
Lumina, sunt teneris membra ligata rosis.  
Sancta quies nunc sit, celeres submitte voces;  
Quisquis eris, lingua nunc animoque fave.

## VENUS ET MARS.

Quam facile est taciti nexus divellere somni,  
Corpora non firmâ compedeserta ligant.  
Iurgia nunc absint, absit funesta similtas:  
Displicet Idaliae rixa nefasta deae.  
Sancta quies nunc sit, placidi ne mater Amoris  
Belliferum somno suscitetur ipsa deum."

---

DELICIAE RURIS

# DELICIAE RURIS

CARMEN

DOMINICI MIGLIAZZA

TICINENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO


MAGNA LAUDE ORNATUM.

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVI



## DELICIAE RURIS.

---

Davus anagnostes adlatas Urbe tabellas  
ad dominum, claro legit ore: — Tito Calidus. Quî  
degis in Epiro, bone, tu? Bene Romae ego: namque  
urbs animo praebet quot delicias cupio. Sed  
nil magis oblectat quam circus, ubi fera multa  
certat, vel resonans mima saltante theatrum.  
Quoque die haec adeo loca, praecipueque theatrum,  
si nullae curae prohibent. Etenim placet ore  
valde pulchras de gradibus spectare puellas,  
sive manu docta pulsat citharistria fila  
sive canit mire Gallo celebrata Lycoris,  
par Veneri facie. Mihi mos a flore juventae,  
cum perdiscendi causa versarer Athenis.

Phaedrus, nobilis ille pater, gravis alta docebat  
 de sapiente, viro bono et omni ex parte beato  
 (plurima dicenti trepidabat pectore barba),  
 atque ego (Pomponi, meministin?) saepe, favente  
 te, ludo me surripio, et volo, nec videt ille,  
 ad mimam... Adde quod ingenti diducere rictum  
 scaena valet risu. Modo quae res accidit, audi.  
 Maecenas una spectabat Vergiliusque  
 et Flaccus. Subito, dum prodit Lydia, mollis  
 per quam fit Sibaris tota jam fabula Roma,  
 leniter, et dulci modulatur carmina voce,  
 ingens exoritur clamor: „Civem fugite illum.” —  
 E tota cavea — „Sileas, ait unus et alter,  
 Demetri: minime auditur divina puella.” —  
 — Versibus ille solet mala dicere verba poeta  
 in nos (et digito signatur Horatius). — Ira  
 te movet, in satira quod simius appellaris? —  
 — „Di male te perdant, laedis qui verbere linguae.” —  
 — Tu petulanter agis, balbo sic Publius ore;  
 jamque tua culpa suspendit Lydia cantum. —  
 — „Cantum nil curo. Sed tu, cui torpida lingua,  
 cur interpellas?” — Hic risit Maevius, una

cum Batio studuit qui turpi carmine famam  
nuper Vergilii premere et „bene”! clamat hianti  
rictu. Tum magno fremitu resonare theatrum  
„Maevi, exi”, atque in eum convicia fundere, donec  
accurrunt jussi duo, fortia corpora, servi  
impositumque humero, cuneis plaudentibus, extra  
tollunt proiciuntque solo trepidum... Omni Romae  
ridicula eveniunt animum recreantia; verum  
plus ego gauderem, fateor, si conspiceres et  
tu una, Pomponi. Dic, quando redibis in urbem  
et lepida qua voce soles tua carmina dices?  
Iampridem multi, quos Florae juvit in agris  
jucundae celebrare diem, rediere. Venito  
tu quoque, amice. Vale. —

— Ut veniam Romam? Mihi non id  
scribas, si videas ut olus bene crescat in horto  
nostro, Luci. Roma vale civesque valet! —  
Sic aiens, nitida de villa fertur in hortum.  
Densior hunc saepes circumdat sentibus: ante  
spumescit mare caeruleum. Rus sole benigno  
collucet. Feriunt intransentem murmura blanda:  
nam, cui silvestri parat ipse ex arbore sedes,

nectar apīs vario carpit de flore susurrans.  
Delibant aliae clymenum trepidantibus alīs  
vel casiam vel purpurei lacrimam narcissi;  
ad cellas aliae caelestia mella reportant.  
Ille stupet grandes oculos et terga decora  
per quae sol multos depingit luce colores.  
Haec contemplanti persultant gaudia mentem.

Tum praetergreditur campo fruiturus aperto.  
Plurimus hīc sulcus ruit in spatium, aurea messis  
quem decorat. Servi lunata falce per arva  
curvi succidunt nutantes pondere aristas,  
solis in igne: jacent per humum longo ordine culmi  
aut fortes onerant vitulas: juga cornua flectunt  
toto exhalantum fumosam corpore nubem.  
Servula pone legit spicam. Et, dum sub bove lento  
plaustra gemunt in pulvinis, murmur ferit aurem  
undae per sata labentis, simul et nota, qualem  
aera sonant ovium lanoso pendula collo.  
Non ovium tamen illa nota est, sed dulcis aselli  
quo vectus senior vicinam Rufus ad urbem  
vilicus adfertur (sectabatur pia coniunx  
olim, si domui vel filiolis opus esset

vel sibi, quod raro, quid emi: nunc morte quiescit).

Solus, agaso etenim placide dormibat in herba,  
depressum lente circa puteum ibat asellus

perpetuo gyro sua per vestigia, parvum  
sulcum defodiens pede, tintinnabula quassans:

e puteo situlae deinceps una, altera, plures  
cum longo gemitu, sublatae funibus, exstant  
portantes undam, quae praepete flumine currit  
quo sata fervida sole vocant et gleba fatiscit.

Non longe rumore profundo stertit agaso.

— Heus, Macci! crepitas mihi plus quam rauca cicada! —

Maccius exurgit. Per vultum flamma pudoris  
ignescit, simul ac dominum videt. Atticus, ore  
blando; „Ne timeas: nihil est” et praeterit.

Ecce

venit ad extremum ruris. Veneris prope fanum  
antiquum. Hic vernae sua membra laboribus actis  
scriblita solantur, oliva et munere vappae;

undique libera verba volant, iocus atque lepores.

Audit erus multa cum laetitia. — En bona ruris,  
exclamat. Licet hic homini vere esse beato!

Et tu proponis, Iuli Calide, et mihi Romam

jactas! Nae species te rerum fallit. In urbe  
 quid, quaeso, nisi bella ferocia conspicias? Ast hîc  
 candida pax regnat. Non miles territat unquam  
 armorum sonitu nec fumant sanguine late  
 campi: rura boves exercent, vomere glebam  
 vertentes, vel fena domum redolentia ducunt;  
 mensa cibo scatet et fructu pallentis olivae  
 a roseis pueris fortunata atque cachinnis. —

Haec volvens animo deprendit se prope silvam  
 quae multam praebet consortis frondibus umbram.  
 Filia, ubi taciti rivi fluit unda perennis,  
 sub fago captat Pomponia frigus amoenum.  
 Jamque accedebat, res cum dulcissima visu  
 apparet. Subito consistit. Pupula, qua nil  
 pulchrius, est natae in gremio: prope, Marcus Agrippa  
 caram filiulam complectens lumine blando;  
 mater, hians, digito crines demulcet eburno  
 et comit flavos atque ubera praebet alumnae,  
 quae vitam sugit roseo suffusa colore  
 et sudore madens . . . En mater garrit in aure  
 lusus atque vocat mellito nomine: totam  
 sese convertit jucundo lumine pupa

DELICIAE RURIS.

11

parvis subsultans multo conamine membris,  
et ridet . . .

— Ride! non ultra gaudia cordis  
jam frenare valens, clamat Pomponius: atque  
sese proripiens teneram de matre puellam  
suscipit et caro capiti plura oscula figit.

---

HARUNDO BELLICA.

# HARUNDO BELLICA

CARMEN

IOANNIS CALDANA

VENETI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXVI



## HARUNDO BELLICA.

---

— Tibi unde, nate, tam canora fistula?  
Avusne laetus emit an tibi pater  
Et istam in urbe, cum favente sis Deo  
Pericla post cruenta redditus casae?  
— Nec hanc in urbe nundinis avus bonus,  
Nec hanc pater mihi emit: ipse trans vada  
Maris, quod usque caurus aut notus movet,  
Padi fluenta trans amoena, in Alpibus  
Abhinc biennium abstuli domumcula,  
Mala nec angor, hercle, conscientia.  
Frequens per alta bellicus iuga haud procul  
Fragor sonabat, atque mane pridie  
Ad aequor omnis emigrarat incola.

## HARUNDO BELLICA.

Eam brevis quietis indigus domum  
Iniveram calore lassus et via,  
Et ecce harundo, quam vides, ab ultimo  
Mihi iacens venusta fulsit angulo  
Statimque imaginem excitavit insulae.  
Herus carere, quisquis ille, scilicet  
Inutilemque rem putare quiverat!  
Mihi sacrum quid, atque sustuli solo  
Micante corde, mater, et levi manu.  
Ibi ante castra sarda vesperi cohors  
Laris cupivit audiitque naeniam.  
Sodalium recordor ora pallida,  
Recordor ora lacrymis madentia,  
In horrida nec ante valle Teutono  
Nec in palude visa talia Hungaro.  
At haec fidelis inde copiis comes  
Brevi modosque rite docta martios  
Domestico simulque carior sono  
In arma pectora acriora reddidit:  
Petita testor Alpium cacumina  
Agrumque Plavis atque litus Hadriae,  
Ubi igne et ense saepe et impetu citi

## HARUNDO BELLICA.

7

Minacis hostis ordines fugavimus.  
Ibi tamen quot occidere, qui decus  
Erant cohortis insulaeque gloria!  
Acerba fata flevimus superstites,  
Nec usquam acuta fortibusque debita  
Harundinis querela defuit piae.  
Sed illa tandem amica claruit dies  
Loquenda semper Italis adoreae  
Et edidere carmen aera regium,  
Minor quod haec tamenque digna succinens  
Fuit ducum superba laude principum.  
Retro et vehente nuper agmen huc rate,  
Vigil morantis ante iussa classici  
Retecta luce prima sarda culmina  
Procul sonora nuntiavit e salo  
Et auxit una mille gaudium viris.  
Et hic suae modesta gloriae memòr  
Suisque laeta restituta finibus  
Mihi canet serena pacis otia,  
Mihi focum vicesque pauperis casae  
Gregemque candidum inter arbores vagum  
Et arva tuta spesque sospiti novas.



At ille, qui reliquit hanc in Alpibus,  
Quod abdicarit esse inane ius putet,  
Reduxque eo, sit aequus, atque sanguine  
Meo quoque auctus ampliore munere  
Diu fruatur aëre et domumcula  
Maloque parcat insequi vocabulo  
Pium cohortis inclutae gregarium.

---